

Kaspar Vogt

**Viro Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo Dn. Henrico Schabbelio, I. U. D.
Consuli Reipubl. patriae dignissimo, & in summo Tribunal Regio, quod
Wismariae est Advocato gravissimo, Consulatum non ita pridem adeptum iubet
esse felicem, Calendas Ianuarias anni a Christo nato 1661. & quicquid inde fluet
temporis, faustum fortunatumque precatur tumultuaria crena, constanti animo
Casparus Voigt/ Wismar**

Rostochii: Kilius, [1661]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471985>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
rosdok/ppn730471985/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471985/phys_0001)

DFG

Mk-13128.

~~Mk-1454.~~





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
rosdok/ppn730471985/phys_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471985/phys_0004)

DFG

DE ORIGINE URBIS WISMARIE

4

VIRO Nobilissimo; Amplissimo &
Consultissimo

DN.

HENRICO SCHABELLIO,
J. U.D.

Consuli Reipubl. patriæ dignissimo, &
in summo Tribunal Regio, quod Wismariæ est,
Advocato gravissimo;

Consulatum non ita pridem adeptum
jubet esse felicem,

Calendas Januarias anni à Christo nato 1661.
& quicquid inde fluet temporis,
faustum fortunatumque precatur
tumultiuariâ crenâ, constanti animo

CASPARUS Voigt Wismar.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typ.



De Insignibus Wismariensium
Dr. Casparius deus Consul Wismariensis. Si statuit
Quia portum habent totius regni s. imperij amplissimum,
firmissimum, optimum, tutissimum. Ideoq; navis effigiem
illis insignium loco attributam esse: et quia procul
dubio portus hic Mikilinburgi veteris, nimirum ipso
nomine loquente olim maxima regia sevis et metropoli,
qua nunc in prefecturam pagum versa, non
ultra limbum a nobis abest milia, pars fuit
ideoq; regia quoq; illis ac totius populi signa corressa
esse. refert S. Festus Pompejus &c Verb. Signif. Noce
Europam. Eam a Jove in Tanrum nesci, sive a praedo
nib; quorum navis effigiem Jani, Iovis fratrem habet
rit, raptam indeq; ab ipsa vocata regionem delatum esse.
Nam simili fabulam evolare habem, dicam:
Uetustissimum Cimborum Archegetum, Tanrum atque
oppia habeat, fuisse illum Iorem, qui sibi Europam
subdidit, coloniz sui generis impletiv, Namque quoniam
Cimber Lachonem prisus notavit

Olebam pridem, Consultissime Vir,
aliquid affectus erga te mei extare
testimonium , & debebam Virtuti
tua, ad summa quæq; progressæ,
quamvis nullo mihi singulari hacte-
nus nexus devinxtæ, nisi quod publi-
co indefatigata bono recepit opera-
ri, unde & mea quantulacunq; fluit felicitas. Postquam
enim commune civitatis audis bonum, non potes non
etiam meus esse, utpote, qui hic tanquam *in certo por-*
tū, & mari à Syrtibus scopulisq; non infami, fortunarum
navisq; suæ, sic disponente Domino, cum cæteris jecit
anchoram. Verùm, unde subsidium peterem, non
æquè occurrebat. Opes namq; , & quæ præterea Ty-
ches benefica sunt veneficia, sicut ea fors tua parùm
desiderat, nec apud me, cultorem sui infrequentem
in horreum Dea illa, si Dea est, congescit; ita Virtutis nō
esse proxenetas, nec Fautorum pararios, autore Phœ-
bō didiceram. Recurrentum itaque videbatur ad ca-
lamum, doctorum illud solatium, quanquam in lite-
ris vix mediocriter versato , &, ne quid diffitear , à quo
me profugum, suālicet culpā & iniuritate seculi (nec
enim esurire poteram) nominant Musæ, talium exer-
citorum propè desueto. Nec deerat occasio, cum *αἰ-*
*ιστὸς κύκλον ab unani*mi confessu Senatorio legerere, &
inter Viros Consulares, frustra reluctante invidiâ, plau-
dentibus bonis, cooptarere; poterâq; tū pro more nō-
stratum

A 2

Z
stratum annoso, missâ inter cæteros vini amphorâ,
velut lætitia tesserâ, si non in benevolentiam, saltem
notitiam tuam penetrare; Sed cum hoc infra dignita-
tem tam eminentis Viri judicarem, malui tacitus desi-
dere, quâm tenui ejusmodi munusculo favorem tuum
prælibare, quamvis scirem, non integrè minus sacra
Diis posse fieri, ubi pro facultate molâ litatur salsa,
quâm ubi cornibus auratis mactatur hecatombe; do-
nec rursum Cynthius aurem velleret, impiumque di-
ceret, nisi vel vota tuæ, pro salute publicâ excuban-
tis, saluti nuncuparem, eaque velut in tabulâ templo
Mnemosynes dedicarem, vel strenâ aliquâ me quoq;
tibi, quem quisque ambit, prensat, colit, sisterem,
te mihi conciliarem, nunc ubi

Permensus cœli spatiū gelidosq; Decembres

Sidera molitur per nova Phœbus iter,

Lucentemq; suis accendit lampada terris,

Damnaq; nox patitur, quæ tulit antedies.

Strenâ itaque, quâ Te veneror, præsens est papyrus,
furvâ fuscata sæpiâ, Cadmi onusta filiabus, mori nesciis,
cætera vilis & levidensis, nisi quod tuo splendet nomi-
ne, & meo prægnans est affectu, qui tibi Wismariâ & te
Wismariæ gratulari gestit. Postquam enim Majores
tui, ducentibus Superis, Wismariam feliciter intrave-
re, quod nostra non meminerunt secula, eamque for-
tunis suis reddiderunt illustriorem, ex eo dignior nul-
la visa est gens, cui salutem suam crederet, quæ ipsam
salubribus juvaret consiliis, & à vario decumanorum
fluctuum impetu tutam servaret, vel, si id vires exce-
deret, saltem, ne à turbulentissimorum temporum
plane absorberetur vorticibus, caveret: imò, si, quod
res est, eloqui licet, ex eo cum gente tuâ perpetuò
qua

quasi procari, inde Spōnsum sibi legere, eique irruptā
 copulā & stabili connubio desponsari gavisa est Republ.
 Wismariensis, ut tu dignitatē Senatoriam
 fascesque Consulares non tantum inter avita nume-
 res bona, sed illi etiam ad te hæreditario, ambigam, an
 electio jure, aut, si res una id patitur, utrōque trans-
 ierint, & succedas hæreditario, electus autem sis tuo
 jure. Successisti enim PROAVO, Senatoriū Ordinis
 Viro; successisti AVO, Tibi cognomini, Consuli, cu-
 jus ne laudatissima intercideret memoria, caverunt di-
 ligentissimi Viri, inferendo eam Annalibus Saxoniciis,
 scriptisque aliis. Successisti denique Prudentissimo PA-
 RENTI JACOBO, itidem Consuli, cuius meo quo-
 que adhuc hæret in pectore vultus, nec potest eum
 ignorare Wismaria nostra. Id autem verè TUUM est,
 in hoc majores vincis, tuoque propterea merito ele-
 ctus es, quod ad gubernacula civitatis feliciter tractan-
 da eruditas attulisti literas, non eas, quæ ab hoc scopo
 alienæ sint, nec leves aut superficiarias, sed quæ suffi-
 ciant oneri gerundo, inq; omni causarum labyrintho
 instar Ariadnei fili sint, quorū beneficio illustre in sum-
 mo Tribunal & meritus jam es, & adhuc sustines no-
 men. Nec enim felicius poterit dari consortium,
 quam si Rerum publ. Præsides accuratā per literas ra-
 tione & convenienti prudentiā instructi accedant: nec
 audiendi sunt, qui hīc aut frustaneam aut superva-
 cuam eruditionis putant sarcinam; Vox ea, non ho-
 minis, sed bovis est, prout hanc causam decernit sapi-
 entissimus Arragoniæ Rex Alphonsus, teste Æn. Sylv.
 Et quanquam sint fuerintq; Viri omnino egregii, qui
 naturali solertiā & multo rerum usū subnixi munia sua
 prudenter obierint; attamen eorum non multò nu-
 merabuntur plures, quam vel

A 3

The-

Thebarum portæ , vel divitis ostia Nilī.
Et si plerosque recte expendas , invenies , ipsos tacitis
suspiriis optare sibi à facili artium culturâ (quam , cùm
vel maximè aversari videri volunt , vehementissimè
cipiunt), quod à longâ , diffici & brutâ experientiâ
vix impetrare valueret , aut certe mancum & mutilum
adepti sunt , ut in tales non inconcinnè à sensu suo de-
tortum aptare possis illud Comici : Tu pol quod scis ,
nescis . Sciunt namque interdum , & ex usu , quid usui
futurum sit , colligunt , verūm absque causis , quæ sci-
entia sunt anima . Perviderunt id acutissimi Politici ,
quibus usus eisdem Magister egregius est , at melior ,
recta Ratio ; quibus Experientia vitæ , Eruditio autem
experientia Magistra est . Verūm hæc me nunc non
attinet dicere , loquitur res ipsa voce satis clarâ , quām
ad singula trepidetur negotia , quantæ confusioni ,
quanto errori , quantis difficultatibus , tenebris & ti-
tubationibus obnoxia sint omnia , quāmq; ad medium
sæpè solem caligetur , absq; literarum luce si sit ; quan-
tum contra boni , quantumque dexteritatis regimini
addat sapientia , morum integritati juncta , & labo-
rum patientiæ suffulta . Quandoquidem ergo , Vir
Consultissime , hanc provinciam , gravem sanè , Tibi
imponi passus es , non poteris jam tuus esse ; propter
Rempubl. enim es , cui te devovisti ; non est illa propter
te , nisi ut recta monenti pareat , obsequatur , amet
item , colat , tueatur ac defendat ex lege mutuiorespe-
ctus , eum qui se tuetur , propugnat & pro virili in au-
gustiore statum deducit . Si qui verò sequiorem hic fo-
veant sententiam , dignitatum cupidi , laborum refu-
gi , quique honores publicos sibi propter se collatos
existiment , ut soli turgeant , ipsique

Pinguis

5

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet,
Ut alios tanquam vile vulgus è fastigio fastubè despiciant,
rerum suarum satagant, quæ civitatis sunt, vel
parùm vel nihil current, næ illi tam longè à justo ab-
sunt, quantum cœli convexa ab abyssò tartari; tantum
tela sua præter scopum jacint, quantum publice di-
stant à privatis, distant autem plurimum. Res mira,
Laborem esse matrem honoris, & eundem tamèn esse
filiam suæ, quam peperit, filiæ. Appositè, nec scite
minus Poeta:

Fructus honoris oneris, fructus honoris onus.
Demosthenem, Oratorem Græciæ sapientissimum,
quid sub Magistratu lateret, nondum expertum,
magñâ ambitionis prutigine titillatum ferunt, post-
quam autem Athenæ consiliis suæ Reipubl. eum præ-
fecissent, & ad gubernacula aliquandiu sedisset, in hæc
erupisse verba, malle se vitâ excedere, quam rebus
Atheniensium diutius præesse. Æschines item, non
minor priore Orator, assiduis suis flagitationibüs tan-
dem consulatu ægrè dimissus, dixit; se eo nunc animo
esse, ac si ab impetu & vellicatione rabidi canis esset li-
beratus. Quare regant oportet, qui eam affectant subli-
mitatem, aut quib⁹ ejusmodi commissa est Sparta, citi-
usq; ab onere opprimantur, quam id suā cū turpitudine
defugiant. Et interest tamen omnino multum, quam
regendi ineant rationem. Præclarè **THOMINGIUS** **Ictus**
decis. 33. Est, inquit, *Universitas inſtar unius hominis, qui*
multos pedes habet, multas manus, multosq; sensus: addam
ego; unâ autem Magistratū (confulum præprimis) ani-
mâ informatur, mente regitur. Quod quia cum vero
consentit maximè, nec quisquam frontis adeò ef-
frontis esse poterit, qui id inficiari audeat, Deus opti-
me!

me! quæ non inde fluent consecaria? quanta Magistratum decebit circumspectio, quanta vigilantia, ut ne quid temerè, ne quid timidè! Vereor dicere; dicam tamen apud Te virum exploratæ sapientiæ & mitem, qualem Euphemia narrat, vultus prodit, nec enim proprius Te novi hactenus. Florebit itaq; Civitas florente Magistratu; sapiet, sapiente eodem; pollebit autoritate, eā pollente Magistratu; justa dicetur civitas, eō iustitiam rectè exercente; ob doctrinam & multiplicem rerum usum clarebit, eo clarescente. Si reluctentur & freна excussuri sint affectus impetuosi & sensus in diversum euntes, (refractarios indigo); jubebit eos in ordinem redire intelligens hujus hominis mens, Magistratus; si mala ingruat tempestas, prudens monebit Anima, damnaq; à corpore suo aut avertet, aut, ut impavidum feriant ruinæ, præstabit; Si morbi quædam membra corripuerint, vel Thucydide Autore, Magistratus eorum erit Medicus. Et, ut brevior sim, *præclarus multa sapiens meditabitur & exequetur anima.* Ex adverso, si torpeat Magistratus, torpebit Universitas; Si puer sit idem, si rudis, si solœcus & barbarus, quid sapiet, quid nitoris, quid elegantiæ habebit Civitas? Si vilis sit ille, vile aliis mancipium videbitur civitas, & tantum non in plenam servitutem, in ergasteria trahetur. Si nulli rei idoneus civitatis sit animus, tum nec pes, nec manus suis rectè fungentur officiis, sed prava, inertia erunt omnia. Si injustus sit, injustitiâ brevi tota scatebit civitas; Si erret hic, si fluctuet, si malè cohærebat, si turbas excitet, errabit, fluctuabit, malè cohærebit, turbas dabit etiam illa, quodque Poeta ait, tum fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Tan-

Tantum igitur in suâ anima, in suâ mente Civitatis situm est, ut salva esse nequeat, nisi ista salva sit! cum, si hæc subtrahatur, nihil ipsa per se futura sit Respubl. nisi putidum & putridum cadaver, nisi onus & præda; ille enim est vinculum, quo cohæret civitas, ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahiunt, quo languente dissipari in multas partes totus ille & pulcher totius Civitatis contextus. Rogandus itaq; præprimis est DEUS,

Ut sit mens sana in corpore sano.

In bonam autem spem eretti sumus omnes, SCHABELI AMPLISSIME, à quo fasces Wismariensium ad te transferunt, fore, ut vulnera Reipubl. sanaturus, & munia probi JCTi per omnia expleturus sis, qui Juris Civilis rationem nunquam ab æquitate se jungit, qui ingenium, laborem, fidem suam Reipubl. promtam expositamq; præbet, qui ita justus & bonus Vir est, ut natura, non disciplinâ, consultus esse videatur; ita peritus ac prudens, ut ex jure Civili non scientia solum quædam, verum etiam bonitas nata videatur, cuius tantum est ingenium, ita prompta fides, quid quid inde haurias, purum liquidumq; te haurire sentias; qualem describit Aquilium suum Cicero pro Cæcinn. Ita igitur, & vestigalem laudi tuæ redde posteritatem, fac, ut merita nullus temporum obliteret tractus; fove Ecclesiam, move Rempubl., defende seminaria, ordines orna singulos; Lites rescinde, concordiam sanci, ~~πληραγμονικ&ς;~~ & id iusglæviorum; autoritate tua reprime. Esto afflictis solatum, pressis auxilium, dubitantibus Oraculum, innocentibus asylum, omnibus æquus arbiter, & præprimis id cura, ad quem scopulum multi alliduntur, quibus ordinata nimis est charitas, ne tantum tuo benè velis sanguini, ne amicis, ne quibusdam,

B

sed

sed esto φιλάνθρωπος, id est, omnibus & quæ ades, civibus
 & peregrinis, open tuam requirentibus, ad omnes
 & qualiter te diffunde, paribusque benignitatis
 radiis illustra cunctos, ut sol omnibus oritur
 & occidit. Patrem enim non novit Justitia, nec ma-
trem, de caelo lapsa est. Esto porrò lenis, ψεύθης & εὐαερο-
ηγος, nec quenquam negotia sua propositurum fasti-
 diosè repelle, sed humanitate, quantum licet, duc o-
 mnes, veniam da, etiam indignis, injuria consultò infe-
 ratur nemini, nec acerbè exagitetur quispiam: habent
namq; & nostratum civium ingenia quandam cogni-
tionem cum Basilicâ herbâ, quæ leviter tacta suavem
perfundit odorem, contrita pessimè foetet & scorpiones
procreat, quod olim Genuensium ad Dueem Galeaciū
missus Orator, FRANCISCUS MARCHESIUS JCTUS
 de suis proponebat. Poscunt te talē civiū plerorumq;
 studia, quæ, ut res florescere incipiunt, sic promoveri fa-
 vore sui Magistratū gaudent. Poscunt non pauca su-
 perstitia rudera & lacunæ, quæ in palatiā & magnificas
 substructiones, quales fuere antiquitus, mutari rursum
 volunt. Poscit ipsum Wismari nomen, quod Sapientem
 denotare Præsidem, doctorum habet opinio. Poscit po-
 lythryleton diverbum, quod ut WISMARIAM SAPI-
ENDI fecit MAGISTRAM, sic eam regi à talibus debe-
 re, qui sapientiæ suæ rivulos ad alios & valeant & ve-
 lint derivare, non obscurè innuit. Fons ille penes Magi-
 stratum est, unde tota hauriat civitas. Surrexit urbis hæc
 è maritanquam Venus aliqua Wandalica non inconcinna;
 cumq; ob tumultus civium, fulmine Pontificali &
 banno Imperiali (si vera fama est) concussa, & surre-
 pente incolarum ignaviâ, bellisq; subinde motis hâc &
 patrum memoriâ in ruderibus domuñq; cadaveribus
 penè sit sepulta; non alio, nisi negotia per maritima, è
 ruinis

9

ruinis suis conimodè poterit excitari medio, nec pri-
mō vigori restitui, nisi eadem per commercia Ocea-
nitica, suppūllante paulatim (quæ solius Dei gratia
est, dantis animum & adimentis, quicquid de Periodis
rerum nugentur Politici) & recrescente civium inco-
larumq; quærendis solertiā, quâ discunt iterum vellus
aureum exteris receptum ad se feliciter traducere, nec
id injuriā: Oportet namq; Civitatem, dignam habitam,
quæ in reliquo regiorum titulorum fulgeret agmine,
torporem solitum excutere, ad pristinam dignitatem
& nitorem cæmeteriis suis non tantum resurgere, ve-
rū etiam ad majorē ornatū pedetentim aspirare, ut
tanquam gemma aliqua & pretiosus unio Coronam
Sueticam ornēt potius quam deformet, cuius Serena-
tor Boreas non modò nubila quæq; ab illâ dispellet,
sed & benignissimi favoris sui Favonio clementissimè
eā recreare non lassabitur, ut, cuj⁹ incolæ ad tenuia ra-
stra & parū proficiētia aratra (pudendū in urbe tā
optati portū!) propè damnati erant, illa nunc prio-
rum progenies valere jussa ruricolis transcribat, seque
luculentioribus studiis parem cum quibusvis extēris
probet, nec ad fornacem & fuliginem paternam, pyris
tantum & rapis assandis, passeribusq; marinis despū-
mandis idonea, desideat semimortua semiq; sepulta.
Penè namq; fuisset, ut (si verum fateri licet, & no-
strummet ipsorum sinum excutere) paulò ante hanc
Wismariæ quasi παλιγγενεῖα inter hujus loci homines
invenirentur egregiè simplices, quibus Frigidus ob-
stabat circū p̄cordia sanguis, quorum incessus agre-
stis, vestitus ridiculus, sermo tanquam ex concavo pro-
latus, & nescio quid rusticum sonans, vultus perpetuò
nubilus, ad serenitatem non exorrectus animus nul-
lius rei magnæ capax, nec magna anhelans; solius

Teutiscæ fidei tenax (Dii, quanti boni! quo nunc propè
 excidimus; ut, qui olim ein Teutscher / suāmet nunc cul-
 pā audiat, extruso T. ein Teutscher.) At nunc non im-
 meritò in gyrum contorto digito mirari, & cum Poe-
 tā, meliori tamen sensu, exclamare licebit: quantum
 mutatus ab illo-sit rerum nostrarum successus. Redit
 namq; Wismariæ pedetentim sua virtus in præcordia,
 quā antiquoribus seculis nulli videbatur esse secunda.
 Redibit porrò, & tanquam alma mater producet & nu-
 triet præcellentia in quibusque studiis ingenia, ani-
 marum servatores Orthodoxos THEOLOGOS,
 Justitiæ Defensores gravissimos JURISPERI-
 TOS, Naturæ Consultos experientissimos ME-
 DICOS, Sapientiæ Venatores acutissimos PHI-
 LOSOPHOS, Deorum figulos elegantissimos POE-
 TAS, Linguarum & eruditionis Censores solertissimos
 CRITICOS & PHILOLOGOS, Mundi Anatomicos
 perspicacissimos MATHEMATICOS, Naturæ
 tortores sagacissimos CHYMICOS & PHARMA-
 COPOETAS, Societatum Metatores amussitatos AR-
 CHITECTOS, inter homines amphibia peritissimos
 NAUTAS, vitæ prodigos audacissimos MILITES, Mer-
 curii Plutiq; Clientes industrios MERCATORES, Me-
 chanices Fabros ingeniosos ARTIFICES, Reipubl. The-
 saurarios & Quæstores diligentissimos PATRES FAMI-
 LIAS, Minervæ æmulas modestissimas VIRGINES MA-
 TRONASQUE, spē posteritatis, politissimos JUVE-
 NES. Dabit eadē hos omnes (ita auguror), nec sibi tan-
 tum dabit, sed ut aliis etiam impertiri queat. Si quæ
 præterea priscæ ἀγοριας supersunt vestigia, si quid re-
 liquum est crudæ & per literas non excoctæ ferociæ, si
 quid scurrilis dicacitatis, id novæ paulatim coloniæ
 emollient mores, fermentabit conversantium huma-
 nitatis

nitas, supprimet meliorum urbanitas, corriget modestiorum discretio. Speramus, καλῶς ἔσοι! Obdormivimus paulisper, sed ut vires redintegraremus; qui evimus, verū ut alacriores surgeremus; dissipit celta ad tempus virtus parūm sepulta inertiae; at recipimus animum, nec patrum inveniemur indigni, postquam potentissimo asserti sumus regno. Et illud saniè sine omine fuisse nunc non videtur, quod prudens antiquitas jam inde ab immemoriali tempore Wismariam ~~sc̄s~~ nō ~~Prope~~, & ut sapere discerent, extraneos ablegavit. Quanquam enim, tempore quo vel eripi nobis hanc patrum gloriam, vel oculi nostram per ignaviam fermè passi fuissimus, malevolorum dicax petulantia id in ludibrium, nostrumq; opprobrium vertere voluerit; Vindicamus tamen rursus pretiosum hocce deposituni, postquam Oraculum communè facti sumus, postquam ab Areopago nostro consilium expetunt, Sapientiam flagitant Provinciarum nobilissimæ. Inde jure nostrum facimus, quod de se apud Ennium pronunciat ille Pythius Apollo.

Suarum rerum incerti? quos ego meā ope ex

Incertis certos compotesq; consilii

Dimitto, ut ne res temerè tractent turbidas.

Repetam hic eādem operā paulò altius memoratae sēpius urbis nostra incunabula & reliqua etatis fata, quantum scil. à fide dignis, qui mihi quidem in promptu sunt, de eā memoriae traditum otiosior sub hisce fériis anni vergentis & noviredeuntis inveni, cum fortè non integrata antiquitatis futura sit recordatio, imò jucundum etiam, nosse primordia urbis, variam expertae fortunam, florentis modò, ruentis deinde, surgentis iterum, tanquam si Phœnix aliquis ē cinere suo prodiret pulchrior, & instar Dionysii alicujus, bisgenita, cuius si

t/2
Prima VVit.
maria con-
ditio.

primam respicias conditionem, non sit alia vetustior inter Vandalicas omnes. Duplicem itaq; tum urbis, tum nominis proditam invenio originem; Aliis quidem esse Coloniām Gothorum, ex Metropoli Gotlandiæ Wisburgo circa annum Chr. 1038. huc deductam, contendentibus; aliis autem constantiori sententiâ afferentibus, circa annum Christi trecentesimum trigesimum à Wismaro Rege Vandalarum, Hérulorum, Obotritarumq; in oris Megapolitanis p̄tentissimo & XIII. filio Alberici, à Gebericho Ostro Gothorum Rege provinciis suis expulsi, patre autem Wislai, Rhadegasti vero illius famosi & ob fortitudinem bellicam in Deastrorum numerum relati, ait, esse conditam: qui Wismarus postea memorabili expeditione cum Vandalarum innumerabili exercitu suscepta, Imperatore Constantino Magno, ab hoc maris Balthici angulo usq; ad paludem Mæotidem, & inde in Pannoniam profectus, tandem etiam à dicto Gebericho prælio acerrimo victus est. Hic VWismarus condite à se urbi nomen VWismaria dedit, si-
ve de suo, quod sapientem Præsidem designat nonnullis, vel, ut alii putant, eum, qui ob Sapientiæ laudem in famâ & ore omnium versatur, ut sit quasi Wismārū sicut Leodemar, Odemar, Dietmar, Woldemar &c. sive respectu habito ad maris finum, certum portum & sta-
tionem navibus, quantumvis capacibus, tutissimam, etiam sine anchoris, præbentem, juxta quem Urbs est excitata, ut dicta sit Wismar, quod ibi sit ein ge- wisse/ vel nostro idiomate, een Wiss Meer. Sic Alcmaria in Batavis dicta censemur, quasi alle Meer/ id est, undique Iacobus seu maribus cincta Urbs; sive utroq; respectu juncto, ut & nomen primi conditoris asservaretur, & qualitas simul certudo q; maris exprimeretur, pulcherrimâ omnium & convenientissimâ nominis impositione.

sitione. Huic Urbi ita conditæ & per crebra bella hoc
in littore gesta, vel migrationes gentium ab Oceano ad
provincias exteræ evaciatæ, si quis postea Coloniam
illam Gothorum ex metropoli Gotlandiæ Wisbyo in-
troductam esse velit, utpote longè post Wismari
tempora, circa annum nempè Christi 1038. quare re-
pugnem, non erit; præsertim cum ejusmodi migra-
tiones, remigrationes, successiones, ductæ ab aliis iu-
alias terras coloniæ, fatales ferè, pro more istorum
temporum novi nihil habeant; quinimò confirmet
Historia, Gothos cum Vandalis, de hoc terrarum cis-
Oceanum Balthicum tractu, cruentis sæpè bellis decer-
taſſe, Reges interdum expulisse, interdum regno suo
populum junxit, ut tandem Gothia in cismarinam &
transmarinam divideretur. Quid autem in hâc nostrâ
Wismariâ per integrum fermè millenarium sit gestum,
quæ ejus fata fuerint, quæ amplitudo, quæ negotia, de
eo altum est silentium, communî nostræ, id est, Celticae
gentis malo & culpâ, quæ postquam Græcos Roma-
noscq; artem scribendi docuerat, quod nec isti populi
inficias eunt, ipsa postmodum dedidicit, certa agendi,
ignava scribendi, adeò ut omnia ejus fortia facta per-
petuâ tegerentur oblivione, nisi ab hostibus & pere-
grinis quædam essent consignata. At quod interea
temporis ad Christianam fidem hisce in oris gentes à
paganismo, primum quidem misso per Ludovicum I.
Caroli M. filium Ansgario circa annum Christi 834.
deinde per Godescalcum Principem, ejusq; Clerum, &
Episcopum præcipue Megapolitanum Joannem de
Scotiâ conversi & adacti, post quadriennium autem ad
vomitum & ad Rhadegastum suum cæteraq; idola ab-
surdissima redierint, mactato iis Godescalco & sanctis
viris omnibus Anno 1066. id posteritati reliquerunt

Hel.

Helmoldus, Crantzius & alii. Tandem verò Anno Christi 1146. eversam esse, sine dubio in turbis hisce abnegatæ fidei, iterumq; post seculi lapsum, circa annum à Christo nato 1230. præter propter, funditus devastatam legimus, donec Genselinus Comes Sverini / Imperatore German. Friderico II sub Joanne Theologo, Duce Megapolitano, Henrici Burevini filio, eam exruinis vetustæ & per ampliæ vicinæ Mekelenburg, ab Henrico Leone eversæ, paulò ante annum Christi 1240. eam restitueret; sive, ut Bonnus habet, Anno 1238. eam conderet: sive, ut Chytræus loqui amat, seu conderet, seu amplificaret, quod Crantzii monumenta & Reipubl. privilegia, omnia post Annū 1250. data ostendere tradit. Posthac, Anno salutis reparatae 1262 rursum incendio totam fermè conflagrassæ & miserabiliter deletam, intra paucos autem annos reædificatam, nec longè post, Ethnicam superstitionem passim in Germaniâ extinctâ, Christi verò puriorem surrogatum esse cultū produnt non vani autores. Dehinc Henricus Hierosolymitanus, D. Megapol. Joannis Theologi filius Jus Lubecense & jurisdictionem propriam civitati primus contulit anno Chr. 1266. Floruit ab hoc Wismaria nostra, & crevit in littore suo, potentia & opibus supra modum, seculo præsertim 1300. item 1400. ut viribus suis confisa, non semel contra Principes esset petulans, cumq; Rostochio, Sundiâ, & aliis, ad contumaciam adversus Dominos abuteretur datis privilegiis, interdum etiam sociata reliquis Anseaticis bella diuturna & gravissima, cum Rege potissimum Daniæ, cum Batavis, & aliis sereret. Dictis fidem facile astruunt, frequentiamq; & opes pristinas clarissimè loquuntur magnificæ templorum substructiones & augusta majestas, fori spatiofa capacitas, aula Ducum, nunc Regia, & sedes Tribunalia.

nalis, amplitudo curiae, subterraneiq; ejusdem fornices & cella vinaria, cænobia elegantissima, Schola præclarissima, portæ urbis excelsæ, ædes privatae splendidissimæ templorum æmulæ, jus stapulæ, integræ in Hispaniam, in Angliam, in Sueciam, in Daniam & aliò destinatæ classes, & quæ præterea idem testari valent monumenta, quorum tamen maxima pars mole suâ nunc obruta jacet, nec in tantâ rerum vicissitudine & adverso statu à posteritate sarta tecta potuit servari. Patebit idem Urbis insignia curiosius lustranti, artisq; Heraldicæ gnaro, in quâ si quid veri, & ni fallant ejus regulæ, non frustra ostentabit Wismaria vexilla sua, magnanimo ausu & factis Heroicis parta; non frustra geret medium Bucephali caput, quod tum gentis originem, tum robur sapienter expeditum & in actum deductum significare ajunt. Testabitur illud ipsum fama Ansium de Wismaria, celebrium admodum, quamvis in deteriorem fermè, ut solet, partem, nostrumq; opprobrium id petulans usurpare soleat lingua, postquam ad tenuiorem redacti sumus sortem. Fuisse tamen hic tum ejusmodi sive ANSES sive HANSOS (prisco Gothicò & Teutonicò verbo. vid. Limn. de J.P. lib. 7. c. 1 n. 63.) Optimates, magnos & præcipuos, cæteros fortunâ & opibus antecellentes, iisdem tandem ad luxum fastumq; abutentes, dubium omnino est nullum. Quare etiam tales divitiis confisos & ad luxuriam deniq; & animi impotentiam conversos divina persecuta est vindicta, anno primùm 1350. ubi lues pestifera brevi tempore bis mille homines abstulit; at longè gravius Anno 1372. ubi intra unius etatis spatiū supra decem hominum millia peste extincta periisse accepimus, evidentissimo inter alia, nec inficiando priscæ Urbis frequentiæ & amplitudinis populosæ documento. An-

C

no de.

M. Schlügel
bury-ing in
pfab: Curi
de Mayr

no deniq; 1424. Ericus Rex Daniæ in maritimis hisce ci-
 vitatibus omnibus, Lubecâ, Hamburgo, Wismariâ, Ro-
 stochio, Sundio, scriptis literis accusato Senatu, quod
 cum hoste suo, Duce Schlesvicensi & Flensburgensi,
 pacto fœdere contra antiqua privilegia agerent, sibiq;
 privatum inde adsciserent malum, ad maximas ple-
 bem excitavit seditiones, quæ quidem alibi rursum
 conquerierunt; At Rostochium Bürgimagistros suos ad
 tempus urbe ejecit. Stralsunda universum propè tru-
 cidavit Senatum. In Wismariâ verò nostrâ sexaginta
 illi ex civibus lecti viri Consulēm **J O H A N N E M**
BANDSCHOVENUM cum Senatore quodā prehen-
 sos nefario ausu capite truncarunt. Post autem à filio
 Consulis, mortem parentis innocenter trucidati ul-
 ciscētis, posito in medio fori lapideo monimento inno-
centiam ejus in suam infamiam contestari vi adacti
 sunt. Atque hinc primū vergere Wismariæ cœpit
 potentia & felicitas, sufflaminatis aliquantis per com-
 merciis, sustinuit se tamen, usq; dum acerbioribus ten-
 tata fatis ad præteritam modò paucitatem, translatis
 aliò commerciis, pervenit, quæ cum propius à me-
 moriâ nostrâ absint, ea nunc non refrico. Illud tamen
 neutiquam prætereundum, quod inter primas purio-
 ra Evangelii semina & à cæno Pontificio per D. Luthe-
 rum repurgata amplexa sit: Anno namq; 1524. Serenis-
 simus Princeps **Albertus**, Magni filius, celebratis cum
 Joachimi I. Electoris Brandenburgici filiâ nuptiis, Ber-
 lino huc secum adduxit **HENRICUM MOLLENSIUM**
Pastorem suum Aulicum, qui in templo D. Georgii,
 toto quadragesimali tempore & feriis Paschalibus,
 fraudes, superstitionesq; & affanias Romanensium pu-
 blicè detegere, puriorem contra doctrinam afferere
 cœpit; quod idem eodem tempore, sed majori cum fa-
 cundia

cundiâ & libertate, in cœnobio Franciscanorum præstitit Hen-
ricus Neverus, ejusdem ordinis vicinorum in totâ provinciâ
 cœnobiorum inspecto[r]. Nec ab hâc semel receptâ purioris
 doctrinæ confessione Urbs nostra unquam descivit, nisi quod
 circa annum Christi 1528. Anabaptistæ & Zwingiani, Cho-
rago Henrico Hevero, cœlestem veritatem aliquantisper im-
 pugnarunt multosq; dubios reddiderunt: Verùm curâ Du-
 cum Megapolitanorum & vigilanti prudentiâ Amplissimi Se-
 natûs effectum est, ut, lupis hisce è grege eliminatis, veri resti-
 tuerentur Pastores; atq; sic vas nostrum sincerum hucusq; per
 Dei gratiam servavimus. Hæc itaq; est illa Wismaria, **VIR**
CONSULTISSIME, sita ad certū mare in agro salubri & fera-
 cissimo terræ palustris & uliginosæ, cincta undiq; coronâ pa-
 gorum, villarum, aularum nobilium & Ducalium, oppidu-
 lorum, municipiorumq; cœnobiorum item, ut &, unius &
 alterius diei itinere, urbium celeberrimis munita per loci
 naturam, humanamq; industriam, quæ tuæ se fidei commisit,
 Tu illam ama, protege & honora, ceu MARITAM lectissi-
 mam, non ita pridem ductam. CLIENS est, Tu eam optimis
 & salutaribus consiliis erige. PUPILLA est, Tu illam defende,
 doce, bonisq; moribus instructam cura. NAVIS est Respublica,
 ut igitur prosperè naviget, bono & perito opus est gubernato-
 re, hunc præsta. DEPOSITUM EST ET CIMELIUM, bona
 fide ergò asserva, & inviolatum suo redde Domino. Tua SPAR-
 TA est, ergò feliciter & fideliter administra. Prolixior hîc fo-
 rem in cumulandis pro salute tuâ votis sub auspiciis anni 1661,
 si vel cum Medicis illis sentirem, quibus in verbis, herbis & la-
 pidibus magna vis inest; vel cum Cœlio Rhodiginio, ipsoque
 Plinio lib. 26. N. H. c. 2. idem foventibus. Cur, ait hîc, primum
 incipientis anni diem lætis precationibus invicem faustum
 ominamur? &c. scil. nisi vim verbis ejusmodi inesse creda-
 mus. Verùm multi pro more tantum vovent, etiam sàpè fatua
 sunt vota mortalium, tamq; inania, ut illud ipsum quod ap-
 petunt,

18
petunt, non raro exitii ipsis causa existat. Quare Cicero 2. de LL.
Cautè, ait, vota reddunto: præprimis autem memorabile vi-
detur illud Valerii Max. lib. 7. c. 2. Qui, Socrates, inquit, huma-
na sapientiæ quasi quoddam terrestre Oraculum, nihil ultra
petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona
tribuerent. Quia ii dēmum scirent, quid unicuiq; esset utile.
Nos autem plerumq; id votis expetere, quod non impetrasse
melius foret: Etenim densissimis tenebris involuta mortalium
mens, in quam latè patentem errorem cæcas precationes tuas
spargis? Divitias appetis? quæ multis exitio fuerunt: Hono-
res concupiscis? qui complures pessundederunt. Regna te-
cum ipse volvis; quorum exitus sæpè merò miserabiles cer-
nuntur. Splendidis conjugiis injicis manus? at hæc ut aliquando
illustrant, ita nonnunquam funditus domos ever-
tunt. Desine igitur stulte futuris malorum tuorum causis, qua-
si felicissimis rebus, inhiare, teq; totum cœlestium arbitrio
permitte, quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam elige-
re aptissima possunt. Hæc ille, Christianè, non Ethnicè, quamvis Ethni-
cus. Si quid tamen vota mea valent, rogo Dominum mundi,
velit te beatum ita ab omni parte esse, ut felicissimo ne voto
quidem opus sit, ut cœlesti sapientiæ ditatus Reipubl. exvoto
præfis, ut sero in fata concedas, ut deniq; tuarum virtutum
& patritæ laudis hæredes relinquas superstites liberos,
& Te cœlestis benignitas tam pulchro mactet dedecore, quod
sibi in filio Astyanacte optat *Hector apud Homer. Iliad. 6.* cuius
verba, quibus finio, ex interpretatione sunt sequentia:

O Jupiter, aliiq; Dei, concedite & hunc fieri

Filium meum, sicut me excellentem inter Trojanos,

Et sic viribus præstantem & Ilio egregiè imperare,

Ut aliquando aliquis dicat, Patre hic est multò præstantior.







Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
rosdok/ppn730471985/phys_0026](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471985/phys_0026)

DFG

ful 1. may 18.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730471985/phys_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730471985/phys_0028)





17

itit Hen-
rovincia
purioris
nisi quod
ni, Cho-
is perim-
urā Du-
fissimi Se-
veri resti-
cūs; per
ia, VIR
ri & fera-
ronā pa-
oppidu-
unius &
a per loci
commisit,
M lectissi-
m optimis
defende-
re publica,
ibernato-
M, bonā
ua SPAR-
or hic fo-
anni 1661.
erbis & la-
, ipsoque
, primum
faustum
sse creda-
x p̄ fatua
quod ap-
petunt,

← →

Patch Reference Numbers on T263 Serial No. _____

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. _____

cundiâ & libertate, in cœnobio Franciscan-
ricus Neverus, ejusdem ordinis vicinoru-
cœnobiorum inspecto[r]. Nec ab hac se-
doctrinæ confessione Urbs nostra unqua-
circa annum Christi 1528. Anabaptistæ
rago Henrico Hevero, cœlestem veritate
pugnarunt multosq; dubios reddiderun-
cum Megapolitanorum & vigilanti prude-
natūs effectum est, ut, lupis hisce ē grege
tuerentur Pastores; atq; sic vas nostrum s.
Dei gratiam servavimus. Hæc itaq; est i-
CONSULTISSIME, sita ad certū mare in
cissimo terræ palustris & uliginosæ, cinc-
gorum, villarum, aularum nobilium &
lorum, municipiorumq; cœnobiorum
alterius diei itinere, urbium celeberrim-
natūram, humanamq; industriam, quæ t.
Tu illam ama, protege & honora, ceu-
mam, non ita pridem ductam. CLIENS
& salutaribus consiliis erige. PUPILLA e-
doce, bonisq; moribus instructam cura.
N ut igitur prosperè naviget, bono & perito-
re, hunc præsta. DEPOSITUM EST ET
fide ergo asserva, & inviolatum suo redde.
TA est, ergo feliciter & fideliter admini-
rem in cumulandis pro salute tuâ votis si-
si vel cum Medicis illis sentirem, quibus
pidibus magna vis inest; vel cum Cœlio
Plinio lib. 26. N. H. c. 2. idem foventibus
incipientis anni diem lœtis precationi
ominamur? &c. scil. nisi vim verbis ej-
mus. Verùm multi pro more tantum vota
sunt vota mortalium, tamq; inania, ut.